

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, partially obscured by the binding.



QUOD DEUS BENE VERTAT.
DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

**COLLATIONIBUS
BONORUM:**

Quam,
EX DECRETO ET AUCTORITA-
te Magnifici & Amplissimi Jctorum Ordi-
nis in celeberrima Argentoratensium
Universitate,

Pro
SUMMIS IN UTROQUE JURE
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS
rite obtinendis,

Publica & solenni disquisitioni subjicit,

GEORGIUS CAMELUS,
ARGENTORATENSIS.

Ad diem Februarii,
horis locoque solitis.

✻ (:) ✻

ARGENTORATI,
Typis Heredum PAULI LEDERTZ.
CIC. IDC. XXXII.

17

1632, 2



COLLEGIUM
MAGISTRORUM

COLLEGIUM
MAGISTRORUM

COLLEGIUM
MAGISTRORUM

COLLEGIUM
MAGISTRORUM

COLLEGIUM
MAGISTRORUM

COLLEGIUM
MAGISTRORUM

COLLEGIUM
MAGISTRORUM





DISPUTATIO JURIDICA
DE
COLLATIONIBUS BONORUM.

Proscenium.

DUbitanti mihi, quid in praesentiarum publica ventilationi magis appositè subjici queat, materia difficilis & quotidiana, de Collationibus bonorum, potior visa est: quòd frequentiora (monente Paulo in l. 25. pr. ff. de liber. leg.) potius & plenius sint attingenda, quàm raro contingentia: cum nec ea, quæ raro, vel quando-cumq; accidunt utiliter & probabiliter, planè respuenda esse, rescripto sacratissimi Imp. Iustiniani in l. 12. C. de legit. hered. doceamur. Difficultas autem ejus est ex diversitate jurium, quæ diversis temporibus circa collationes sunt constituta: Bart. enim ponit & nominat septem diversa jura in materia Collationis: Bald. octo. Paul. de Castro novem, teste Cagnolo ad l. si emancipati. 9. n. 13. C. de collat. Opera itaq; pretiù me facturum duxi, si hanc theoriã sub disputationis incudem revocarè, eamq; materiã carptim & vellicatim tangerè, extra carceres fore minimè judicavi. Et quia partitio ex doctrina Accursii: in proœm. Instit. §. igitur. verb. partiri. animum legentis incitat, mentem intelligentis preparat, memoriam artificiosè informat, & ut Imp. innuit in §. sed non usq; 3. Inst. de legat. vers. sed ne in primis. difficultates ex permista traditione procedentes, per separationem explicat, æquum bonũ judicavi, quo ordine in praesenti Disputatione sim acturus, præmittere, in

A 2 hoc

hoc secutus consilium Pauli in pr. l. i. ff. de dol. mal. & met. except. Dicam itaq; de homonymia vocabuli Collationis: ejus origine: definitione: qui conferre bona sua teneantur & quibus: que bona sint conferenda: quantum: quando: quomodo: quibus remediis quis cogi possit, ut bona sua conferat: quis finis & effectus Collationis. Quoniam autem à DEO O. M. omnia proveniunt, eiq; successus nostros soli acceptos ferre debemus, ut fecit Justinianus, cujus statua Constantinopoli erecta hoc ipsum designabat; manu enim dexterâ spheram, supra quam erat crux infixa, sinistrâ verò virgam gestabat, quasi divino nutu esset ad tam magnam evectus imperiû, ut Dominus etiam Orbis diceretur. l. deprecatio. ad L. Rhod. de jact. l. bene à Zenone. C. de quando. præscr. eundem Deû Unum in essentia, & Trinum in personis, à quo omnes pendere jubentur, inprimis invocans exoro, ut adsit mihi principium, medium & terminus; libro Authenticorum edoctus, ut in auth. de privil. dot. hæret. mulier. non præst. pr.

T H E S I S I.

ERe est, priusquam ad alia perveniam, quædam de nomine, origine & definitione vocabuli Collationis in antecessum dare. Etenim, qui naturam vocabulorum, quæ notæ sunt & quasi cubilia rerum, negligit, ille quodammodò cum vulpe Æsopica vitreum vas lambit, interiori autem pulstem attingere nequit.

Homonymia Collationis.

2. Sciendum autem est, verbum collationis *πολύσημον* esse, & multas habere significationes.

3. In jure Canonico Collatio accipitur, pro gratuitâ quâdam beneficii vacantis adsignatione, legitimè factâ ab habente potestatem Clerico. ut in tot. tit. ext. de præbend. & eod. tit. in 6. præsertim. in c. 33. Panorm. in c. ex frequentibus. 3. & c. seq. & c. fin. ext. de instit. Sich. in rubr. n. 7. C. de Collat. quæ propriè est donatio quædam. Dec. in rubr. ext. de elect. in fin. imò antiquitus Papa utebatur verbo donationis. Oldrad. conf. 58. quidam. n. 2.

4. Capitur etiam pro Collatione, quam diebus quadragessima-

similibus jejunantes faciunt de sero, magis ad sustentationem naturæ, quàm ad delicias: cuiusmodi collatio non est peccatum, nec frangit jejunium. *Panorm. in rubr. ext. de observ. jejun. n. 3. Cagnol. in l. si emancipati. 9. n. 15. C. de collat.*

5. In jure Civili sumitur pro oneris seu muneris publici viritum indictione, adsignatione, vel tributorum exactiōe, ad quam publicæ utilitatis gratiâ subditi tenentur Imperio. *l. 1. C. de Episc. & Cler. l. 6. C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 5. C. de exact. tribut. lib. 10.* Hinc Collatores dicuntur, qui conferunt tributa, aliàs Tributarii dicti. *Nov. 128. Gothofr. in Not. ad l. 2. §. 11. C. de off. Præf. Urb.*

6. Pro canonum seu censuū anniversariorum & æris Provincialis collectâ. *tot. tit. C. de Collat. donat. vel revel. lib. 10. & tit. C. de Coll. ar. lib. eod.*

7. Pro eo: quod à vectoribus navis servandæ causâ confertur, & contributio dicitur. *tot. tit. ff. ad L. Rhod. de jact.*

8. Pro dilatione temporis ac negotii peragendi. *l. 9. ff. de sponsal. l. 12. pr. de jur. dot.*

9. Pro disputatione, quam faciunt Dd. & studiosi. *Mich. Graß. lib. 2. recept. sent. §. Collatio bonorum. quest. 1. n. 1.*

10. Pro ejusmodi orationis sermone, qui rem cum re identitatis & diversitatis dignoscendæ gratiâ confert & comparat. *Nov. 49. rubr. & c. 2. Nov. 73. rubr. & c. 3. l. 3. §. 8. in fin. C. de vet. jur. enucl.*

11. Pro librorum seu voluminum distinctione, ut liber Authenticorum in novem collationes dividitur. *Gothofr. in Not. ad Nov. 1. verb. collatio prima. Rittersh. in præm. Nov. c. 1. n. 19. vel in undecim, ut alii colligunt ex inscriptione Extravagantium, quas nonnulli XI. collationem appellant, & sub decimâ contineri volunt Edicta Justiniani, usq; ad constitutiones Friderici II. Imp. inclusivè.*

12. Pro placito introitus, quod militantes in statutorum numerum relati & recepti in ingressu solvunt. *l. 2. C. de silent. l. 7. C. de prox. sacr. scrip.*

13. Deniq; pro contributione ac commixtione bonorum propriorum cum paternis accipitur, ut in *tot. tit. ff. de collat. bon. & dot. & tot. tit. C. de collat.* quam Germani vocant *Einwerffung der Güter*. Et hæc ultima acceptio est hujus loci.

*Origo Col-
lationis.*

14. Originem suum habet ex Edicto Prætoris. De jure civili XII. Tabb. emancipatos liberos, cum ageretur de successione paterna, habitos pro penitus extraneis, in confesso est: ita ut si post mortem patris concurrerent cum suis, in nullâ penitus portione succederent. §. *emancipati. 9. Inst. de hered. quæ ab intest. §. emancipatos. 3. Inst. de exher. lib.*

15. Prætor videns talem duritiem, mitigavit eam, & per Edictum suum de novo introduxit, ut emancipati liberi, non obstante emancipatione, cum suis possent succedere: nimirum si essent præteriti à patre, bonorum possessionem contra tabulas. *d. §. emancipatos. 3. Inst. de exher. lib. l. illud. 4. ff. de bon. poss. cont. rabb.* aut si mortuus esset intestatus, admitti se ex quodam capite Edicti Prætorii, quod vocabatur Unde liberi, peterent. *d. §. emancipati. 9. Inst. de hered. quæ ab intest.*

16. Cùm autem novum illud Edictum Prætoris, sui ad inopiam suam pertinere dicebant: primò, quòd emancipati acciperent partem de bonis paternis, & sic decidebat una portio suis paternæ hereditatis: deinde, quia filii, qui erant in potestate patris, quicquid acquirebant, quocunq; titulo, excepto peculio castrensi & quasi, illud acquirebant patri. *l. 79. de acquir. hered. l. 1. pr. si à parent. quis manum. l. 1. §. 15. ff. de collat. bon. §. 1. Inst. per. quas person.* & sic per suos acquisita parentibus, mortuo patre veniebant communicanda cum emancipatis, qui nil parentibus, sed omnia sibi ipsis acquisierant.

17. Hinc ergo Prætor inspectâ istâ injuriâ, ne haberent sui, quod quererentur, ad sarcinendam & compensandam eam, consequens esse credidit, ut sua quoq; bona in medium conferant, qui appetunt paterna. Cùm enim petendo contra tabulas possessionem bonorum emancipatus, petat pro se & suo commodo, & perinde haberi debeat, ac si non esset emancipatus: debet similiter & contrâ, quasi non fuisset emancipatus, sua communicare. *per vulgat. quod quisq; jur. idq; propter æqualitatem inter liberos servandam. Nov. 18. c. 6. Nov. 22. c. ult. pr. quæ mater est concordia: τὸ γὰρ ἴσον πόλεμον ἔποιεσεν* *Sich. ad rubr. C. de collat. n. 1. & 2. AzO in summa. C. eod. l. 1. ad rubr. C. d. t.*

18. Atq; etiam post Justiniani Constitutionem licet adventitia

ventitia quidem bona patribus non acquirerentur, profectitia tamen patri adhuc acquiri placet, unde sunt profecta. *d. §. 1. Inst. per quas person.* Ita fit, ut etiam nunc ea, quæ patres in filios contulerunt, mortuis patribus veniant in communicationem & divisionem hæreditatis.

19. Sequitur definitio. Collatio est actus, quo liberi, hæreditatem defuncti parentis participare volentes, res suas à parente profectas, quas tempore mortis ipsius parentis in bonis habuerunt, cum cæteris defuncti parentis liberis communicant. *Definitio.*
Bocer. cl. 3. D. 13. th. 1.

20. In collatione autem bonorum spectatur, qui conferre bona sua teneantur, & quibus. Olim ex Edicto Prætoris liberi solummodò emancipati, per bonorum possessionem contra tabulas, vel ab intestato Unde liberi succedentes patri, vel aliis ascendentibus ab eo, cum aliis liberis in potestate existentibus, conferrebant omnia, quæ ante mortem patris defuncti quæsierunt, præter castrensia vel quasi *l. 1. pr. junct. §. 15. ff. de collat. bon.* *Qui conferunt & quibus.*

21. Disposuit pariter & rescriptum D. Pii, fœminas, licet in potestate manentes, succedentes ut proximè, quamvis cum emancipatis, debere conferre dotem. *l. 1. pr. de collat. dot.* Idem juris in donationibus propter nuptias Leo Imp. esse voluit. *l. 17. C. de collat. accessère Justiniani Constitutiones. l. 19. l. 20. & l. fin. C. eod. Nov. 18. c. 6.* dumodò non diverso succedebant jure. *l. 7. ff. de collat. dot. l. 20. §. 1. de bon. poss. cont. tab.*

22. Scævola deniq; & D. Pius, tantùm rationi inæqualitatis evitandæ inhærentes, voluerunt, ut idem esset in succedentibus diverso jure, qui tamen eodem succedere possunt. *l. 10. ff. de collat. bon. l. 1. pr. de collat. dot.*

23. Ubi notandum, succedere diverso jure hîc intelligi, quando unus ab intestato venit, alter per contra tabulas, vel unus per querelam, alius per contra tabulas: non autem, quando de jure Prætorio unus, de jure civili alter admittitur. Emancipati enim de jure Prætorio succedentes cum filiis in potestate de jure civili succedentibus, & sic diverso jure, ex ipso jure Prætorio sua conferebant. *l. 1. pr. de coll. bon. Cagnol. ad l. si emancipati. 9. C. eod. num. 140.*

24. Ho-

24. Hodiè conferre bona sua tenentur liberi omnes, qui volunt esse participes bonorum defuncti parentis, non solum emancipati. *l. 1. pr. ff. de collat. bon. l. 4. ubi Gothofr. in Not. lit. h. l. 6. l. 9. l. 11. C. eod. & ex emancipatis posthumi. l. 2. pr. ff. b. t. aut alio modo sui juris qui sunt effecti. l. 18. C. eod. sed & sui, sive filii sint, sive filia. l. 12. l. 17. l. fin. C. de collat. sive ex filiis etiam emancipatis nepotes aut pronepotes. l. 7. ff. d. t. l. 1. §. pen. & ult. de conjung. cum emanc. lib. l. 19. l. seq. C. de collat. imò & is, qui restituitur ad bonorum possessionem omisam petendam. l. 2. C. si ut omis. hered.*

25. Locum habet inter solos descendentes, adspirantes ad hereditatem ascendentium: non ascendentes, cum de his nihil in jure cautum reperiat, & absq; textu ad eos extendenda non sit. *arg. d. l. 19. & l. 20. C. h. tit. & in iis ratio collationis modò exposita cesset: hinc est, quòd sub hoc titulo in ff. & C. tantum fiat liberorum mentio, cum de collatione agitur. Wesenb. in parat. ff. de collat. bon. n. 6. Giph. ad l. 13. C. eod. Tr. vol. 2. D. 17. th. 2. Duar. hic c. 4. ideoq; cum ascendentes succedunt descendentibus, si quid habuerint de bonis illorum, eo præcipuo retento veniunt ad successionem.*

26. Etiam si succedant matri, vel avia maternæ. *l. 17. l. 19. C. de collat. l. fin. in fin. C. commun. utr. jud. quod olim secus erat, cessante causâ inductivâ, injuriâ scilicet: quoniam liberi matri non acquirunt, nec ex L. XII. Tabb. succedunt, sed ex Scto & Constitutionibus, ex quibus omnium liberorum par est ratio. Tr. vol. 2. D. 17. th. 2. lit. A. ibiq; Bach. & Hunn.*

27. Ex quo sequitur, quòd extranei non conferant quicquam, *ut per Dd. omnes, præsertim Bart. in l. Pater filium. 6. ff. de coll. dot. arg. l. 19. & l. ult. C. de collat. l. 1. §. 5. ff. eod. Unde si cum liberis extranei quidem succedunt, etiam uxor ex auth. præterea C. und. vir. & ux. Wesenb. in parat. ff. de coll. bon. n. 4. tunc filii nil conferunt extraneis, nec extranei filiis, sed soli inter se filii. Accurs. in l. ult. in verb. omnimodò. C. Commun. utr. jud. l. 21. §. 1. C. de testam. quia ad collationis naturam requiritur, ut fiat per descendentes in successionem ascendentis.*

28. Hinc etiam infert *gloss. fin. in l. 1. C. de legit. hered. quòd collaterales fratres vel sorores, quando agunt de collateralis hereditate, nihil cogantur conferre.*

29. Et

29. Et confert non solum emancipatus suis fratribus & soribus in familia & potestate constitutis, prateritis vel institutis, petentibus contra tabulas bonorum possessionem. *l. 1. pr. & §. 1. l. 3. §. 2. & 3. ff. de coll. bon. l. 6. l. 9. & l. 11. C. eod. aut ex testamento succedentibus. l. 10. ff. d. t. l. 14. pr. l. 20. §. 1. de bon. poss. cont. tab. ex quibus locis patet, quod ex edicto quidem non conferat, qui institutus adit ex testamento, sed ex æquo & bono, sive ex interpretatione. d. l. 10. conferre teneatur, modò fiat injuria per bonorum possessionem contra tabulas. l. 1. §. 3. 4. 5. d. l. 10. ff. de coll. bon. d. l. 20. §. 1. ibi: & hoc sic. de bon. poss. cont. tab. l. 1. §. 13. & 14. de conj. cum emanc. lib.*

30. Sed & suus sua propria bona à parente profecta, velut dotem & donationem propter nuptias, ut suis, *arg. pr. l. 1. de dot. coll.* (quam non rectè ad concursum suorum & emancipatorum referri, notat Bach. *ad Tr. v. 2 D. 17. th. 3. lit. D.*) sic & emancipatis, non tantum vivo patre natis. *l. 4. l. 12. l. 17. & l. 19. C. h. t.* sed & posthumis conferre necesse habet. *l. 11. C. d. t.* non quidem, cum adhuc in utero sunt, & mater in possessionem missa est, sed quando jam nati sunt. *l. ult. ubi Cujac. ff. de collat. bon.*

31. Conferunt etiam emancipati sibi invicem donationem solummodò propter nuptias & dotem à parente profectam. *l. 4. l. 17. & l. ult. C. de collat.* Nam fratres & sorores dotem & donationem propter nuptias, quam acceperunt à matre, vel avo aut proavo materno, quibus extranei sunt, invicem sibi conferunt. *l. 4. l. 17. l. 19. & l. ult. C. h. t.* non verò cætera bona profectitia conferre sunt obstricti. *l. 1. §. ult. l. 2. §. 5. l. 3. §. 2. ff. de coll. bon. l. 9. l. 17. C. eod.*

32. Nec minùs filius emancipatus, intestati patris bonorum possessionem unde liberi accipiens, nepoti ex se nato, in familia avi retento; & vicissim nepos in potestate avi retentus, quando patris sui emancipati hereditatem cum fratre post emancipationem nato capere intendit, confert. *l. 5. pr. l. 9. ff. de coll. bon. l. 5. pr. si tab. test. non ext.* aut avus, quando sibi per nepotem in potestate retentum, hæreditatem filii emancipati acquirere vult. *l. 4. l. 4. ff. de conj. cum emanc. lib. 1.*

33. Si fortè avus iste nullum ex his bonis fructum acquirere.

B

re-

rere velit, paratusq; sit, de potestate nepotē dimittere, ut ad emancipatum omne emolumentum bonorum possessionis perveniat. Nec idcirco is filius, qui post emancipationem natus patri hæres extitit, justè quæri poterit, quòd eo factò collationis commòdo excludatur: cum avo quandoque defuncto, ad bona ejus simul cū fratre possit venire. *d. l. 5. pr. h. t.*

34. Quin & emancipatus, qui se in arrogationem dedit, aut in potestate existens, sit in adoptionem datus avo materno, tamen si succedere vult patri naturali per bonorum possessionem contra tabulas, conferre debet sua propria bona ejus fratribus. *l. 4. de conj. cum emanc. lib. is, qui eum habet in potestate. l. 1. §. 14. l. 5. pr. ff. de coll. bon.*

35. Planè si hic adoptivus pater ante bonorum possessionem petitam emancipaverit eum, non cogetur ad collationem: sed ita demum adoptivus emancipatus collatione fratres privabit, si sine fraude hoc factum sit. *d. l. 1. §. 14. h. t. l. 4. de conj. cum emanc. lib. l. 6. si tab. test. non ext. l. 5. in fin. pr. de collat.*

36. Conferre similiter tenetur filius exhæredatus, si obtineat in querela mota, rescisso in totum testamento. *l. 25. in fin. pr. de inoff. testam. l. 17. C. de collat. l. 6. ff. de dot. collat. non etiam, si jure diverso liberi ad bona patris veniant. l. 1. pr. de dot. coll. l. 20. §. 1. de bono poss. cont. tab. si jus vetus spectes, quo instituti ex Edicto non conferebant. l. 1. l. 4. l. 7. C. h. t.*

37. Emancipatus autem filius non confert exhæredato, hærede scripto repudiante. *l. pen. §. 1. de bon. poss. cont. tab. ubi Cuiac. gl. ad pr. l. 1. ff. de coll. bon. lit. B.*

38. Emancipatus filius, siquidem nepotes in potestate avi non habuit, fratribus suis conferet: sed si sint nepotes, ex ipso scil. suscepti, & in potestate avi retenti, illis solis conferet, utpote quibus solis injuriam facit. *l. 1. §. 13. de conj. cum emanc. lib. l. 1. §. 3. l. 10. ff. de coll. bon. l. 5. in fin. pr. si tab. test. non extab.*

39. Sed & filius emancipatus confert nepoti emancipato ex fratre, quando pater nepotis mortuus est in potestate patris: quia cum nepos in successione ingrediatur locum patris, sicut filius emancipatus confert filio non emancipato, ita etiam nepoti emancipato, qui repræsentat patrem non emancipa-

cipa-

cipatum. *Panorm. part. 1. conf. 85. incipit, in presenti. col. pen. in fin. verb. & optimè ad propositum. allegat. text. in l. 1. §. fin. & l. 7. de coll. bon. & l. 1. §. 16. de conj. cum. emanc. lib.*

40. Conferunt etiam nepotes & pronepotes inter se & mixtim cum patruis, amitis, avunculis & materteris concurrentes, & hæ personæ vicissim illis. *l. 17. l. 19. C. h. t. ubi Gothofr. etiam nondum nati nepotes, concepti tamen, & post mortem avi editi. l. 2. pr. ff. eod. junct. §. cum filius. 6. & §. & licet. 8. Inst. de hered. quæ ab intest. l. 7. de stat. hom. Nam post avi mortem nati & concepti, quia nullo cognationis jure avū attingunt. d. §. & licet. 8. Inst. d. t. non conferunt.*

41. Quòd si omnes sint emancipati nepotes & neptes, bona sua ab avo ad se profecta, conferunt soli patruo. *l. 2. §. 7. l. 7. ff. h. t. si verò unus sit emancipatus, & alter suus, emancipatus soli fratri, qui in potestate mansit, confert; non patruo, cui tamen aliàs conferret, si frater deesset. l. 1. §. 2. de coll. dot. l. 1. §. ult. ubi Cujac. de conj. cum emanc.*

42. Si suus sit nepos & neptis, & quidem ex eodem filio, hoc etiam casu neptis dotem sibi ab avo datam soli fratri confert, non patruo. *d. l. 1. §. 2. ubi Cujac. de coll. dot. si non sit frater, confert patruo, itemq; patrueli. d. l. 1. §. fin. de conj. cum emanc. d. l. 1. §. 3. ff. de coll. dot.*

43. Si duæ sint neptes ex diversis filiis, dotem sibi ab avo datam conferunt & invicem, & patruo, si ambæ sint dotatae: si una tantum sit dotata, hæc alteri indotatae conferet. *l. 1. §. 2. & §. 4. de dot. coll.*

44. Si verò duæ sint neptes ex eodem filio, & ambæ sint dotatae, vice mutuâ dotem conferunt, non autem patruo: si una tantum sit dotata, tum hæc soli indotatae conferet. *d. l. 1. §. 4. ubi Cujac. junct. §. preced. d. t.*

45. Quòd si non ipsæ neptes dotem, vel nepotes donationem propter nuptias acceperint ab avo aut avia, sed filia aut filius, parentes ipsorum nepotum & neptum: tum nepotes & neptes avo & avia succedentes, parentis sui donationem propter nuptias aut dotem conferre suis patruis, amitis, avunculis, materteris jubentur, & hæ personæ vicissim illis. *l. 19. C. de collat. ubi Cujac. in parat.*

46. Sunt & plures, qui conferre sunt obstricti; quibusq; conferendum, quos omnes hîc enumerare perlongum foret: adire licet Dn. Mejer. in Colleg. Arg. ad h. t. th. 2. & seqq. usq; ad th. 7.

47. Antequàm edisseram, quæ bona veniant conferenda, necessarium duxi præmittere divisionem bonorum: quorum alia sunt castrensia, quasi castrensia, adventitia & profectitia. Et verò tria priora genera liberorum propria dicuntur. §. 1. Inst. per quas person. l. 3. C. de castr. pec. mil.

*Quæ bona
sunt confe-
renda.*

48. Bona igitur castrensia, quali sunt equi & arma filiofam. militatum abeunti data. l. 3. & 4. ff. de Castr. pec. & omnia expeditioni militari inservientia. d. l. 3. de Castr. pec. junct. l. 3. §. ult. de mun. & honor. item quæ miles in castris, ut stipendium, & capta ex hostibus, acquisivit, quæq; occasione militiæ nactus est, ut est hereditas commilitonis, & res mobilis donata proficiscenti ad militiam, item empta prædia ex castrensi peculio. Bocer. tr. de bello & duello, c. 16. n. 18. nec olim, nec hodie conferuntur, siue liberi sint in potestate, siue non, textus est in l. 1. §. 15. de coll. bon. l. fin. C. eod.

49. Nec donata à Principe vel Augusta. l. 7. C. de bon. qua lib. l. 20. & l. 21. C. de collat. quæ extenduntur etiam ad Principes nostri temporis, si habeant merum & mixtum Imperium, & sint in suis Ducatibus pro Imperatoribus, à Sich. ad auth. ex testamento. C. b. t. n. 17.

50. Unde est casus in jure nostro, quo mulieres castrensia bona possunt habere: scilicet cùm donatur ipsis à Principibus. d. l. 7. C. de bon. qua lib. l. 26. C. de don. int. vir. & ux.

51. Nec illud, quod jure primogenituræ ad primogenitum pervenit. Tiraq. de jur. primog. tit. 1, q. 51. arg. l. 41. fam. hercisc. l. ult. de jur. patron. c. quàm periculosum. 7. q. 1.

52. Nec quasi castrensia. l. 1. §. 15. ff. l. ult. C. de collat. l. 4. & l. 14. C. de Advoc. divers. jud. l. un. C. de castr. omn. Palat. l. ult. C. de inoff. testam. §. ult. Inst. de milit. testam. Ut salaria. d. l. 4. C. de Advoc. divers. jud.

53. Sumptus studiorum. l. 50. ff. fam. hercisc. ob publicum eorum favorem. l. un. C. de stud. lib. Urb. Rom. §. fin. proæm. Inst. auth. habita. C. ne filius pro patr. qui privatis paucorum commodis est præferendus. auth. res quæ subjacent. C. commun. de legat. & ob præsumptum

ptum patris animum: qui enim vult consequens, velle videtur & antecedens. *arg. l. un. C. de peric. success. parent. lib. 10. l. 2. ff. de jurisd.*

54. Et procedit non tantum in patre, de quo expressè loquitur d. l. 50. fam. herisc. sed etiam in matre. *l. 34. de neg. gest. l. 11. C. eod.* quia hîc est eadem pietatis ratio. *l. 4. ff. de curat. furios.* cujus intuitu mater alimenta quoq; liberis debet. *l. 5. §. 14. de agnosc. & alend. lib. 1. 11. C. de neg. gest.* quorum nomine compræhenduntur, quæ ad disciplinas, honestasq; artes percipiendas pertinent. *l. 4. ff. ubi pup. educ. deb.*

55. Nec restringendum id solummodò ad filium emancipatum, de quo loquitur d. l. 50. fam. herisc. siquidem nullum dubium, quin, si Jctus interrogatus fuisset, an idem de filiofam. statueret, idem respondisset: utpote quem majori prosequeretur affectione & amore, quàm emancipatum. Succurrit ergò communis Dd. regula, quòd pro expresso habendum sit id, quod partes, si de eo specialiter interrogatæ fuissent, verisimiliter respondissent.

56. Quid si in Academia patria filius invigilaverit studiis, eiq; pater sumptus suppeditaverit, num & tum pietate debitâ ductus idem fecisse censebitur? Cùm & alia studiorum privilegia iis competere receptum sit, ut docet Matth. Steph. *de jurisd. lib. 3. part. 2. c. 5.* utiq; idem dicendum: siquidem longè difficiliùs filio peregrè agenti sumptus à patre subministrantur, quàm in patria literis operam danti: si illos ergò sumptus non recusat pietas paterna, multò minùs hos recusabit. Hûc inclinât & Dn. Mej. *in Colleg. Arg. ad h. t. rh. 8. n. 18.*

57. Imò si filius habeat bona materna, & patrem eorum legitimum administratorem, & hoc calu pater pietatis intuitu ex suis propriis bonis sumptus studiorum filio subministrasse præsumendus est. *per l. 1. & 2. C. de bon. Matern. l. fin. §. 5. C. de bon. qua lib.*

58. Quòd si filii sumptus studiorum nomine à parentibus emunxerunt, ac per Venerem, aleam & commestationes dissipaverunt, omninò conferunt. Impensæ enim studiorum nequeunt appellari, quæ in studia non sunt conversæ, quâsq; pater, si ita insumi scivisset, nunquam impendisset. *auth. quod locum, & ibi notat Bart. C. de collat. & ibid. Dec. n. 7.*

59. Occurrit hîc pulchra quæstio seu visio de eo filio, quem
B 3 pater

pater Musis consecravit, mortuus tamen est, antequam filius studia sua abfolveret, an deinde fratres istius studiosi cogantur fratri sui studeti sumptus & deinceps prestare, donec studia abfolverit: quemadmodum & pater fecisset, si vixisset? Non attentis, quæ in contrarium possunt produci rationibus, statuo, hæredes patris non teneri ex communi alere istum studentem, *cum Bart. Salyc. Sich. ad l. 18. C. fam. hercisc. Sneider. ad §. quædam actiones. in act. fam. hercisc. Inst. de act. n. 54.* Cessat enim in fratribus necessitas illa, ad quam pater obstrictus fuit, ac item ille favor & amor, quo pater filium vivens complectebatur.

60. Si tamen debitum occasione studii est contractum in vita patris, dum esset honestum & licitum, fratres coguntur illud solvere de communibus bonis, sicut & ipse pater coactus fuisset: modò non esset enorme, sed tale, quale pater antea consuevisset pro filio solvere. *l. 7. §. 13. l. 17. ff. ad SC. Maced. l. 5. C. eod. l. 20. §. 6. ff. fam. hercisc. l. 15. de mun. & hon.*

61. Libri studiorum gratiâ à parentibus liberis empti: *arg. l. 3. & l. 4. ff. de castr. pec. l. 4. l. 18. C. fam. herc.* Distingunt tamen Dd. utrum pater eos suo, an verò filii nomine emerit: priori casu, quãdo simpliciter absq; ulla donationis mentione tradidit, in dubio non intelligi eos donasse; sed usum tantum & custodiam concessisse. *arg. l. 77. §. 21. de leg. 2.* posteriori verò iterum distinguunt, an tradiderit filio, nec ne: si nondum tradidit, nec expressit se donare, libros ipsius parentis manere, ideòq; ut alias res hæreditarias inter liberos dividendos. *arg. l. 1. C. de castr. pec.*

62. Quòd si tradidit, & eos donare expressit, ulterius distinguunt, utrù filius tempore donationis Advocatus sit vel Doctor, an verò adhuc Scholaris: ut illo quidem casu omninò valida sit donatio: hoc verò ita demù, si vivo adhuc patre studia compleverit, puta Doctor vel Advocatus factus fuerit. *Sneider. ad §. quædam actiones. in act. fam. herc. Inst. de act. n. 50. Sich. ad l. 18. C. fam. herc. n. 3. & seqq. & ad auth. ex testamento. C. de collat. in fin.*

63. Verùm hæc Dd. traditio non immeritò suspecta videtur, cum sufficiat libros nomine filii comparatos fuisse. *arg. l. 18. C. fam. herc.* etiamsi à patre propter supervenientiam mortis nondum traditi fuerint. *l. 11. ff. l. 1. C. de castr. pec. & aliàs ex donatione, licet*

licet traditio non intervenerit, efficax nascatur obligatio. §. 2. *Inst. de donat. l. 35. §. 5. C. eod. Nov. 162. c. 1.*

64. Nec etiam posterior distinctio ferenda, utpote quæ fragili admodum nitatur fundamento, quasi Scholares sive studiosi quasi castrense peculium habere nequeant; quod refellitur *arg. l. 1. C. l. 3. & 4. pr. ff. de castr. pec.*

65. Accepta à patre Doctoratus vel Magisterii adipiscendi causâ. *l. 14. C. de Advoc. divers. jud. l. ult. C. de inoff. testam. l. 1. §. 15. & §. 16. ubi Cujac. ff. de coll. bon. l. 20. §. 6. & §. 7. fam. herc. l. 3. §. ult. de mun. & honor. Sich. ad l. 4. n. fin. C. fam. herc.*

66. De bonis, quæ pater dedit filio, in titulum patrimonii, ad effectum, ut sacerdotii Ordinem adsequi valeat, *c. Episcopus. 4. extr. præbend. disceptari solet, utrum in collationem veniant? Et quanquam non præbendam, non quod pro ea expensum (quod vulgò honorarium appellant) non fructus inde perceptos in collationem venire cotendant. Fab. in §. fin. n. 3. Inst. de inoff. test. & in l. si emancipati. 9. vers. ideò credo. C. de collat. Cassan. in Consuet. Burg. rubr. 7. §. 5. n. 51. & Dd. communiter, teste Grass. lib. 1. recept. sent. §. legitima. q. 27.*

67. Contrarium tamen puriori theoriæ convenire arbitrator, cum bona hæc ob causam donata esse, ad similitudinem donationis, quæ fit propter nuptias, filiofam dici possit: siquidem hæc donatio fit, ut matrimonium spirituale contrahatur ab ipso filio, sicut donatio propter nuptias fit ad matrimonium, carnale. *Covarr. in c. Raynaldus. 17. §. 2. n. 14. ext. de testam. Petr. Sanz morq. tr. de divis. bon. lib. 4. c. 13. n. 9.*

68. Quod multò minùs dubii habet in conferendo æstimationem officii Procuratoris, Tabellionatus & Decurianatus, quod pater dedit filio ob causam matrimonii cum certa persona contrahendi. Nam ex eo, quòd talia officia communiter contra *l. ult. C. ad L. Jul. rep.* (quæ vult, ut nemo ambitione vel precio ad honoris insignia promoveatur, & Magistratum auspicatoris publicè jusjurandum det, nihil eo nomine, neq; per se, neq; alium dedisse, aut promississe) venduntur, cujusmodi consuetudinè passim apud Gallos & Venetos hodieq; vigere, conqueritur *Lanf. in consult. suis de Princip. int. provinc. Europ. in orat. cont. Gall. pag. m. 227. & in bo-*
nis.

nis reputantur, ut cætera bona judicanda sunt. *Covarr. lib. 3. var. resol. c. 19. n. fin.* hancq; veram & communem esse opinionem, tradit *Grassus lib. 1. recept. sent. § legitima. q. 27. Diss. Cassan. in Consuet. Burg. rubr. 4. §. 4. versu: additio, ista consuetudo.*

69. Eaq; æstimatio est facienda, quæ erat tempore mortis patris: nisi data sit pecunia ad emendum officium: quia tunc solum pecunia data confertur. *Petr. Sanz morq. tr. de divis. bon. lib. 4. c. 13. n. 14.*

70. Non adventitia regulariter. *l. ult. C. de collat.* quia & hæc sunt liberorum propria, non emancipationis, sed legis sive Constitutionis Justinianæ beneficio, quâ cautum reperitur, ut horum bonorum proprietates ad liberos. *l. 1. C. de bon. matern. solus ad parentes ususfructus pertineat. l. 6. C. de bon. quæ lib. §. 2. Inst. per quas person.*

71. Excipitur dos & donatio propter nuptias, si à matre vel avo materno sit data, & de matris vel avi materni successione agatur, ea enim omninò venit conferenda. *l. 17. C. de collat. Cujac. 3. obs. 30. Fach. 5. contr. 83. vers. quod autem.*

72. Quòd si pater permittat filium percipere usumfructum, de bonis adventitiis, qui de jure debet patri acquiri. *l. 1. per tot. tit. C. de bon. quæ lib.* intelligitur donare talem usumfructum filio, ad eò quòd mortuo patre eum non teneatur conferre fratribus. *l. 6. vers. fin autem. C. de bon. quæ lib. sequitur. Ias. in auth. ex testamento. C. de collat. dicens, illum textum ad hoc esse singularem. ibiq; Angel. Petr. Sanz morq. de divis. lib. 4. c. 13. n. 30.*

73. Sed sola profectitia. *l. 17. l. fin. Cujac. in parat. C. de coll. ut dos & donatio propter nuptias à parente data liberis. l. 3. 4. 12. 16. 17. 19. & l. 20. C. de collat. tot. tit. ff. de dot. coll.*

74. Quærent Dd. an & ea filia, cui pater testamento longè minorem reliquit portionem, quàm cæteris liberis, dotem profectitiam conferre fratribus & sororibus teneatur? Magis est, ut simpliciter dicam, cessare hîc dotis collationem. *per l. 39. §. 1. fam. herc. Nov. 18. c. 6. ibi: & exinde æqualitatem. junct. l. ult. C. commu. Vir. jud. Fach. 5. contr. 78.* Idem juris, si pater rationem subjecisset, hoc videlicet factum esse dotis contemplatione, quam exsolverit ei. *l. 65. §. un. de rei vind. l. 6. de hered. Inst.*

75. Doti accensenda & dotium additamenta, vulgò *Weiß
ber*

Berschmuck oder Trawenzierd/ veluti sunt vestes preciosiores, ornamenta muliebria, annuli, armillæ, torques & cætera ad ornamenta tantum corporis pertinentia. l. 26. §. 2. de pact. dot. arg. l. 25. de pecul. l. 5. §. 10. ibi: sic sua duntaxat causa. Commod. l. 8. C. de jur. dot. Gail. 2. obs. 91. n. 5. Sich. ad l. 18. C. fam. herc. n. 12. Diff. Bald. ad l. filia. n. 14. C. fam. hercisc. quem sequitur Wesenb. in parat. de dot. coll. n. 3. quod hæres à patre debeantur, & sint præstanda, velut quædam alimentorum accessio.

77. Non etiam expensæ in ipsas nuptias & convivium nuptiale insumptæ, cum bonâ fide sint consumptæ. arg. l. 50. fam. herc. quia pater sumptus istos non de communi re, sed suâ propriâ fecit: ut post Br. docent Sich. & Gail. d. loc. nec vestimenta in usum quotidianum data, hæc enim alimentorum appellatione continentur. l. 6. de alim. & cib. leg.

78. Hinc si pater fecit expensas nuptiarum pro uno filio, si mortuo patre alter filius ducat uxorem, dum sunt in communiõne, cæteri non tenentur conferre, sed ipse faciet de suo. Roman. cons. 469. quoad primum in fin. vers. quod ad tertium.

79. Nec λύτρον, quod expendit pater pro filio ab hostibus vel latronibus eum redimendo, quippe cum pietatis causâ fecisse præsumatur, venit conferendum. l. 17. C. de postlim. revers. arg. l. 15. C. de neg. gest. l. 34. ff. eod. Petr. Sanz morq. de divis. bon. c. 13. n. 64.

80. Secus est in eo, quod pœnæ nomine pater ob delictum à filio perpetratum fisco, magistratui, vel parti læsæ exolvit: jure enim à liberis cæteris in collationem postulatur. l. 22. C. de pen. l. 2. §. 2. ff. de coll. bon.

81. Acris est inter Dd. concertatio, an simplex donatio facta à patre filio, redigi in medium debeat? Placent. in tit. C. de collat. & Scip. Gentil. in comment. ad tit. C. eod. id affirmant, sive suo, sive emancipato sit facta.

82. Alii distinguunt inter filium in potestate existentem & emancipatum, ut suus quidem donationem hanc præcipuam habeat, emancipatus verò conferre teneatur. Ias. in auth. ex testamento. C. de collat. ibiq. Sich. n. 14. & n. 18. Fach. 8. contr. 80.

C

83. Distin-

83. Distinguit Cujac. 3. *obs.* 30. inter successionem ex testamento & ab intestato, ut priori casu in simplici donatione collatio locum non habeat, sed posteriori tantum, cum pater intestatus postea decesserit.

84. Azo in *Summa. C. de Collat. n. 13. gl. ad auth. ex testamento. C. eod.* Duar. *ad d. t. c. 2. in fin. Tr. v. 2. D. 17. th. 5. lit. G. ibiq;* Bach. Welenb. *in paratit. ff. de Coll. dot. n. 2.* Giph. *ad l. 13. C. de Coll.* indistinctè negant, in simplici donatione collationi esse locum, sive de suis sit quæstio, sive de emancipatis.

85. Ego in tanto *Dd.* conflictu posteriori opinioni inhærendū puto. propter *l. 18. C. fam. herc. & l. 20. in fin. C. de Collat.* quæ generaliter statuunt, simplicem donationem non conferri, nisi pater vel expressè jusserit, vel alteri filio ob causam, alteri simpliciter donaverit: hoc enim casu ad evitandam inæqualitatem locus est collationi. *d. l. 20. pr.* confirmatur etiam ejusmodi donatio morte, atq; ita habet vim legati.

86. Quid ergò, si pater filio ob benemerita, puta artificialia vel officialia, dona dederit, an & ea subjiciantur collationi? Cum donatio hæc à patre perinde fiat, tanquam in extraneum, sitq; peculium adventitium, dicendum videtur, illa bona non esse conferenda. *l. 12. §. 8. ff. Mand. Sich. ad auth. ex testamento. C. de Collat. n. 15. Fact. 5. contr. 82.*

87. Prælegata à patre hæredibus non conferuntur, quia filii dicuntur habere postmortem & ex judicio testatoris. *l. 1. l. 10. l. 16. C. de collat. l. 18. C. fam. herc. l. 4. ff. de dot. coll.*

88. Intricata & nodosa est quæstio, adeò, ut in eâ enodandâ novo Prætore opus esset, an lucrum, quod filiusfam. suo facit labore & industriâ per peculium profectitium, sit accessio ejusdem peculii, an verò sit peculium adventitium, proindeq; conferri vel non conferri debeat? *Gl. in l. 6. verb. ex ejus substantia. C. de bon. quæ lib. Spec. lib. 4. part. 2. §. sequitur. n. 14.* Ant. Fab. *decad. 41. error. 8.* tenent, esse peculium profectitium. *per text. in §. 1. Inst. per quas person. ibi: ex re patris. & ibi: occasione.*

89. Bart. autem in *d. l. 6. C. de bon. quæ lib. & in l. 1. §. nec castrense. n. 5. ff. de coll. bon.* distinguit ita: quòd si lucrum absq; labore filii proveniat, totum sit profectitium: aliàs si industria & labor filii

fili intervenerit in acquisitione, dividatur, ut dimidium sit profectitium, aliud dimidium adventitium. *arg. l. 1. cum. gl. & l. 52. §. 7. ff. pro soc. §. 1. Inst. eod.*

90. Sed Bald. *in auth. ex testamento. C. de collat. n. 8.* existimat, totum hoc ex iudicis arbitrio dependere, ut attentâ qualitate pecuniæ, personâ & industriâ, & labore filii, vel plus, vel minus attribuat pecuniæ, quàm filio, vel econtrâ. *arg. d. l. 1. ff. pro soc. §. 1. Inst. eod.*

91. Fachin. deniq; aliq; ab eo allegati. *lib. 5. contr. 83.* autumant, quod filius ex labore & industria sua acquisivit ex pecunia patris, pro dimidia parte esse conferendum, pro altera dimidia nō conferendum, eò, quòd partim adventitium iudicetur, partim profectitium.

92. Illis calculum meum addo, qui lucrum illud à peculio profectitio separant, & adventitio adnumerant, ut à collationis necessitate eximatur. *l. 6. vers. si quis. ibi: non ex ejus substantia. C. de bon. qua lib. Bocer. cl. 3. D. 13. th. 24.*

93. Quæ filius illicitè pecuniâ patris acquisivit per usuras vel alios modos illicitos, non sunt bona profectitia, neque patri acquiruntur, ac proinde nec conferenda: ad quod facit, quòd lucra illicita non communicentur inter virum & uxorem, neq; veniant iudicio familiæ herciscundæ. *gl. & Salyc. in l. 8. C. fam. herc. gl. Abb. & Dd. in c. ex transmissa. ext. de decim. & Paul de Castr. in l. 6. n. 28. C. de bon. qua lib. reddit rationem, quia acquisitio turpis specialiter mandari non potest, nec debet. l. 12. §. fin. ff. Mand. nec venit in generali mandato patris, peculium concedentis. juxt. l. 46. de pecul. l. 12. que in fraud. cred.*

94. Similiter nec communicat id, quod actione injuriarum vel popularis consequitur: magis enim vindictæ, quàm pecuniæ habet persecutionem. *l. 2. §. 4. ff. de coll. bon. l. 7. §. un. de pop. act. l. 6. de sepul. viol. Azo in Summa. n. fin. Giph. ad l. 13. C. eod. Duar. de coll. c. 2.*

95. Item neptis non tenetur conferre dotem, quam ab avo in vita patris recepit, si mortuo patre concurrat cum avunculis vel patruis in hæreditate avi: nisi constiterit, avum dedisse nepti dotem patris contemplatione, vel dubium sit. *Ang. & Alex. in l.*

C 2 in quar-

in quartam. 91. ff. ad L. Falcid. pro quo facit text. in l. 79. de jur. d. ot. cujus verba sunt: Avus neptis nomine ex filio nota genero dotem dedit, & moritur? negat Servius dotem ad patrem reverti. & ego cum Servio sentio, quia non potest videri ab eo profecta. quia nihil ex bonis ejus habuisset. Quam veriore & receptiore opinionem dicit Grassus lib. 1. recept. sent. §. legitima. q. 25. n. 1. Petr. Sanz morq. de divis. bon. lib. 4. c. 13. n. 32.

96. Ut non nihil antiquitatis apponatur, sciendum est, olim (videlicet eo jure, quo exceptis castrensibus & quasi omnia bona pleno jure patri acquirebantur) emancipatos simpliciter omnia undecunq; quæ sita bona contulisse. l. 6. C. de collat. arg. l. 1. pr. ff. eod. quæ quæsierunt ante mortem patris, quæq; fuerunt in bonis eorum eo tempore, quo pater fati munus implevit, deducto prius ære alieno. l. 6. C. l. 1. §. 17. & §. 18. ff. de collat. (sic enim intelliguntur bona) si tamen æs alienum sit purum.

97. Sin autem sit in diem vel sub conditione, non statim id deducitur, sed confertur: is verò, cui confertur, cavebit conferenti, ut existente conditione, vel adveniente die defendat eum à Creditore pro ea parte, quam contulit ei. l. 2. §. 1. ff. de coll. bon. Azo in Summa. C. eod.

98. Et fit ejus, quod dolo malo factum sit, ut quis habere desierit: secus, si factum sit, ut non adquisierit. l. 1. §. 23. ff. de collat. add. text. cum gl. in l. 2. §. 2. ff. d. t.

99. Hinc legatum conditionale, relictum emancipato. cujus conditio existit post mortem communis patris, quia post mortem demum cedit legati dies, & post mortem videtur acquiri, non confertur, sicut nec alia, quæ veniunt emancipato post mortem communis patris. l. 13. l. 15. C. l. 2. §. 3. ff. de collat. l. 18. ff. de R. l. Azo in Summa. C. de coll. n. 7.

100. Quòd si legatum relinquatur emancipato ab extraneo, cum morietur pater communis, tenetur illud conferre, l. 1. §. 18. ff. de collat. quia acquiritur ei patre vivente, cum momentum & punctum vitæ potius computetur, quàm mortis: moritur enim pater se vivo, mortuus mori non potest, nec mors ei dominari. l. 9. C. hered. instit. l. 18. §. 1. l. fin. ff. de man. test. gl. in d. l. 1. §. 18. ff. de coll. Azo in Summa. C. eod. n. 9.

101. Si tamen filio in potestate constituto, pater communis,
ab

ab aliquo institutus hæres, oneratus fuerit præstare legatum, cum ipse morietur, interpretatur lex, perinde esse, ac si post mortem patris relictum esset legatum, proindeq; non venit conferendum. *d. l. 1. §. 19. ff. de collat.* quia si dies hujus legati diceretur cedere patre vivente, in cujus potestate est filius iste, nullum esset legatum: quòd filio in potestate degenti non possit relinqui legatum à patre, hærede instituto. §. *an servo. 32. Inst. de legat. Azo in Summa. C. de collat. n. 9.*

102. Moram collationi faciens, tenetur & conferre usuras, puta dotis, vel fructus bonorum. *l. 5. §. 1. de dot. coll. Cujac. ad l. 1. §. 1. ff. eod.*

103. Restat videre paucissimis, quantum conferri debeat. *Quantum Conferatur.* Et tantum emancipatus (idem, in habilibus tamen terminis, de reliquis liberis statuendum) confert, quantum aufert regulariter. *l. 1. §. 3. de collat.* sibi enim semper virilem portionem retinet. *d. l. 1. §. ult. l. 2. §. 5. l. 3. §. 2. ff. de collat.* & ideò si unus sit emancipatus, alter suus, suo emancipatus semissem aufert, ideò & semissem confert. *l. 9. ff. b. r.*

104. Sunt tamen casus, quibus emancipati plus conferunt, & minùs capiunt. Primus est, si duo sint filii sui, & duo emancipati: hoc casu emancipati ex bonis paternis ferunt quartas, & tertias conferunt, atq; ita plus conferunt, quàm ferunt: idem est, si duo sint sui & tres emancipati: nam emancipati auferunt quintas, conferunt autem tertias. *l. 1. §. ult. l. 2. §. 5. l. 3. §. 2. ff. de collat.*

105. Alter casus est: si unus filius sit suus, & ex altero filio jam mortuo sint duo nepotes emancipati, qui bonorum possessionem avi petant: hi enim emancipati ex bonis defuncti avi singuli auferunt quartas, quoniam dividunt inter se unum semissem, alter verò semis relinquitur integer patruo; singuli tamen nepotes non conferunt quartas, sed dimidias. *l. 2. §. 7. de collat.* plus igitur conferunt, quàm auferunt: siquidè cum nepotes ex uno eodemq; filio, licèt plures sint, in omni jure pro uno reputentur. *l. 7. de collat. l. 2. §. 7. de excus. tur.*

106. Est etiam casus, quo emancipatus de propriis bonis nil retinet, sed ea integra confert, utpote si ex emancipato filio nepos emancipatus, mortuo patre simul & avo, bonorum possessionē

acceperit, ùcm uterq; pater scil. & avus suum heredem reliquerit. Hoc etenim casu nepos ille si centum in bonis habeat, & patruo 50. & filio 50. confert. *d. l. 2. §. 6. de collat. prolixius hac de re differit. Dn. Mej. Colleg. Arg. ad h. t. th. 10. per tot.*

107. Nec indignari eos oportet, si plus conferant, & minus accipiant: quippe in potestate eorum fuerit, hæreditate abstinere, vel bonorum possessionem omittere. *d. l. 2. §. 5. ff. h. t. Duar. hic c. 3.*

*Quando
fiat colla-
tio.*

108. Sequitur, quando fiat collatio. Jure antiquo discrimen fuit inter causam testati & intestati quoad collationem. Nam in successione ab intestato, cum videlicet quis bonorum possessionem contra tabulas, vel unde liberi obtinebat, fiebat tantum collatio: ex testamento autem hæredes fratres & sorores non conferebant, nisi hoc ipsum testator specialiter jussisset. *l. 1. §. 6. de collat. l. 1. pr. de dot. coll. l. ult. C. commun. utr. jud. l. 1. l. 7. C. de collat. & non diverso, sed eodem jure ad successionem veniret. l. 10. ff. h. t. 20. §. 1. de bon. poss. cont. tab. l. 6. l. 7. de dot. coll.*

109. Hoc discrimen Justinianus sustulit. *per Nov. 18. c. 6.* illud quoque sanciens: sive quispiam intestatus moriatur, sive testatus, omnino ab hæredibus fiant collationes, neque tantum inter eos, qui eodem sed etiam qui diverso jure veniunt, nisi testator expressè declaraverit, se velle non fieri collationem. *d. Nov. 18. c. 6.*

110. Cum autem textus hic requirat expressam mentionem collationis, quæritur, an omnino verbis expressis & specialibus hoc esset faciendum, vel an sufficerent verba generalia & æquipollentia? posterius affirmant. *Sich. ad auth. ex testamento. C. de collat. n. 4. Grass. lib. 2. recept. sent. §. collatio bonorum q. 3. n. 2. per. l. 39. §. 1. fam. herc. & quod voluntas defuncti per conjecturas certa sufficiat, ad prohibitionem collationis, tenent Dd. communiter, allegati à Grass. d. loc. Cognol. in l. si emancipati 9. C. de coll. n. 38. Tr. v. 2. D. 17. th. 4. lit. C. ibiq; Bach.*

111. Liqueat igitur, quod inter illos, qui ex testamento succedunt, jure veteri, quod Novellam Justiniani. 18. c. 2. antecessit, collatio locum non habuerit: quæstio movetur, utrumne codicillis factis olim impedita fuerit collatio? Liberi emancipati aut eo sunt contenti, quod codicillis relictum est, neque petunt bono-

rum

rum possessionem unde liberi, & certum est, eos ad collationem bonorum suorum, etiam eorum, quæ aliàs à patre acceperunt, non cogi: aut petunt bonorum possessionem, & cum liberis in potestate concurrentes, bona sua, & quæcunq; aliàs conferrent, hîc quoq; conferre tenentur: quod autē codicillis relictum est, quoniam extero jure capiunt, præcipuum habent. *l. 10. l. 16. C. de collat.*

112. Et toties est locus collationi, quoties in potestate constitutus incommodo afficitur. *l. 1. §. 3. 4. & 5. l. 10. l. 20. §. 1. ibi: & hæc sic. de bon. poss. cont. tab. l. 1. §. 13. de conj. cum emanc. lib.*

113. Locus etiam est collationi, licet filius, cui delata est bonorum possessio ex primo capite unde liberi, & tempore vel repudiatione exclusus, ex alia parte, unde legitimi vel unde cognati admittatur. *arg. l. 17. ibi: quocunq; jure. C. de collat. nihilominus enim hi liberi permanent, & sui hæredes. arg. l. 11. de suis & legit. l. 6. §. 2. de Carb. Edict. §. sui. 2. Inst. de hered. qual. Tr. v. 2. D. 17. th. 2. lit. A. ibiq; Bach. Dn. Mej. Colleg. Arg. ad h. t. th. 2. Grass. 2. recept. sent §. collatio bonorum. q. 6. n. 3.*

114. Unde si filia ab intestato superstitionibus masculis excludatur statuto vel consuetudine, si illa fuerit cum masculo instituta, conferre etiam tenetur. *Bach. ad Tr. v. 2. D. 17. th. 2. lit. D. Diff. Grass. & Tr. d. loc.*

115. Tum autem cohæres vel bonorum possessor sua bona conferre heredibus tenetur, quando vel hæreditatem acquisitione acquisivit, vel bonorum possessionem agnovit. *l. 3. pr. Cujac. ad l. 1. pr. ff. de collat. sed & si velit, potest & ante. d. l. 3. §. 5. de coll. l. 13. de cond. caus. dat.*

116. Quod si priùs hæreditatem acquirat, aut petat bonorum possessionem, & interim antequàm conferat, moriatur, jus suum ad hæredem transmittit. *l. 5. §. 8. d. l. 3. pr. Cujac. ad d. l. 1. pr. ff. l. 14. C. de collat. Fach. 5. contr. 80. vers. 2.*

117. Et fit collatio ex Prætoris Edicto boni viri arbitratu: *Quomodo conferendum.* (non enim conferuntur ea, quæ sine culpa conferentis perierunt. *l. 2. §. 2. Cujac. ad l. 1. pr. ff. de Collat.*) vel re ipsa, vel cautione, vel utroq; modo. *d. l. 1. §. 9. & §. 11. ff. de collat.*

118. Re fit collatio multis modis: aut per actualem numerationem, item per delegationem debitoris, aut minùs accipiendo.

do, et muß so lang zu ruck stehen in der Theilung/biß die andere auch
so viel bekommen haben/als er schon hat/ aut etiam compensando. l.
1. §. 11. & §. 12. ff. de collat. aut si fiat divisio bonorum conferendo-
rum. Azo in Summa. C. h. t. n. 11.

119. Cautione fit collatio, quando quis per fidejussores, vel
etiam pignora cavet his, quibus debuit conferre. l. 1. §. 9. ubi Cujac.
ff. de collat. l. 20. §. 1. de bon. poss. cont. tab.

120. Quæ quidem cautio sive stipulatio committitur, cum
interpellatus post aliquod spacium, quo potuit conferre, non fe-
cit, & condemnationem, quanti ea res erit, continet. l. 5. §. 1. & 2.
seqq. ff. de collat. Wesenb. in parat. n. 6. Azo in Summa. C. eod. n. 2.

121. Utroq; modo, id est re ipsa & cautione fit collatio, si
quædam bona in occulto sint, & suspecta sit fides ejus, qui con-
ferre obstructus est. d. l. 1. §. 11. ubi Cujac. de collat.

122. Fœmina tamen, quæ dotem à patre accepit, si patri
mortuo, constante adhuc matrimonio succedere velit, necesse ha-
bet conferre dotem non realiter, ut eam exactam à marito con-
ferat, sed ut tantò minùs auferat ex successione patris. l. 5. C. h. t.
si videlicet mulieri in eventù soluti matrimonii sit actio salva con-
tra maritum: cæteroquin etiam nudam actionem conferens, æqua-
les cum fratribus partes habebit. auth. quod locum. C. de collat.

123. Quod sublimitatur, nisi culpâ & negligentia uxoris
actio facta sit inanis, veluti quòd (licet constante matrimonio,
permittente id constitutione Justiniani. in l. 29. C. de jur. dor.) à
maritò vergente ad inopiam non exegerit dotem. d. auth. quod lo-
cum habet.

124. An autem hâc in re fuerit in culpa, & culpa ipsi obsit,
æstimatur ex persona uxoris, an fuerit filiafam. an sui juris. Hoc
casu, si legitima sit ætatis, semper ipsi culpa imputatur; minori au-
tem ipso jure quidem culpa nocet, sed per restitutionem succur-
ritur: illo casu dos aut est parva, & nihil imputatur uxori, si modò
consensum patris super exigendâ dote petierit: aut dos est magna,
& omninò negligentia nocet, quoniam in hunc casum jus exigen-
di dotem etiam invito patre concessit Justin. in Nov. 97. c. 6. d. auth.
quod locum habet. C. de collat.

125. An autem collatio semper fieri debeat æqualiter, que-
stionis

stionis est? Quamvis leges passim requirant æqualitatem, id tamē ad jus antiquum referendum duco, quo collationi tantum locus esset in successione ab intestato: hodiē verò, posteaquàm collatio etiam in successione testamentaria recepta est, æqualem hanc divisionem non semper locum habere, velut si pater liberos ex inæqualibus partibus hæredes instituat, quo casu dubitandum non est, inæqualem inter illos divisionem fore. *Bach. ad Tr. v. 2. D. 17. th. 1. lit. E.*

126. Nec minùs dubitatur, an qui conferre tenetur, præcisè obligetur rem ipsam, an verò rei volens æstimationem præstare, sit audiendus? Edicto Prætoris, qui non nisi inæqualitatem spectavit, abundè satisfieri videtur, si pro speciebus & corporibus, quæ acquisivit, æstimatio conferatur: quandoquidem dos, quam confert filia, non exigatur à marito. *l. 5. C. de coll.*

127. Sed si quis per inopiam non possit cavere de conferendis bonis, non statim ab eo transferenda est possessio portionis suæ, imò sustinendum est, donec sponsores invenerit: ita tamen, ut interim fratribus actio detur, de iis, quæ morâ deteriora futura sunt: dummodò caveant fratri ad conferendum obligato, de restituenda pecunia, cum propria contulerit. *l. 2. §. ult. ff. de collat.*

128. Quòd si non caveat, non dabitur eis actio, ut vendant, sed dabitur Procurator rerum, qui curam gerat earum quæ perire possunt, ut vendat, & pecuniam servet. *l. 1. §. 10. ff. de collat.*

129. Remedia, quibus quis ad conferendum cogi possit, *Quibus re-
mediis
quis ad cõ-
ferendum
cogatur.* *Dd. comunitè duplex statuunt: primum est imploratio officii judicis. l. 1. pr. ibi: ad collationem dotis per arbitrium familia herciscundæ posse compelli: ff. de dot. collat. l. 8. C. de Collat. ibi: jubebit.*

130. Secundum est, denegatio actionum hæreditarium. *l. 1. §. 10. & §. 13. ff. l. 11. l. 12. l. 14. l. 16. C. de collat.* puta hæreditatis petitionis, & Curator constituitur, apud quem resecta pecunia collocetur, ut tunc demum recipiat, quod redactum est, cum propria contulerit. Nam & si postea actâ pœnitentiâ quis velit conferre, vel intra tempus legitimum delatę possessionis cautionem offerat, recipiat jus suum, *d. l. 2. §. 10.* nec enim Prætor variantem repellit, & consilium mutantis non aspernatur. *l. 8. ff. h. r.*

D

131. De-

131. Denegantur autem actiones hereditariae in totum si quis nullo modo caverit: si autem quis debeat cavere duobus, & cavuit unitantum, siquidem cessavit cavere per contumaciam, denegantur ei actiones hereditariae totius trientis sui: nec enim videtur cavisse, qui non omnibus cavuit: si autem cessavit cavere per inopiam, denegantur ei actiones hereditariae pro dimidia ejus partis, scilicet trientis, qui non cavuit: trientis autem dimidia sextans est. *l. 1. §. 13. ff. de collat.*

Finis & effectus collationis.

132. Finis & effectus collationis est, ut servetur potissimum aequalitas inter liberos. *l. 17. l. 20. C. de Collat. arg. l. 77. §. 20. de legat. 2. l. fin. C. commun. uti jud. & collata communiter dividantur. l. 19. in fin. C. h. t. atq; ut actiones quaecumque hereditariae conferenti competant, quae ei antea denegari poterant. l. 11. cum. l. seq. C. de Collat.* Unde conferuntur aliquando, quae alias naturam suam in collationem non venient. *d. l. 20. §. 1. C. eod.* ubi eo casu, quo unus ex liberis confert dotem vel donationem propter nuptias, alter cogitur conferre donationem simplicem, quam regulariter non conferri, tradidi supra *th. 85.*

133. Atq; haec de materia collationis pro temporis ac institutioni ratione haecenus dicta sufficiant. Claudant Disputationem hanc verba Imp. Justin. Qui, non erubescimus, inquit, si quid melius etiam horum, quae ipsi prius diximus, adinvenerimus, hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem. *Nov. 22. in fin. prae fat.*

COROLLARIA.

Consentaneum est, cum jam ad coronidem pervenerim, ut aliqua etiam annexam huic disputationi, animam legentis paulisper recreantia. Sicut enim lupini per se amari, aqua perfusi dulcescunt: sic tetrica ista legum a mixtione & temperie historiarum, aliorumque scriptorum, qui ex Sapientiae & Prudentiae libris sua hauserunt, mitigantur. Verba sunt Lipsii *cent. 2. Epist. 39.*

1. An fratrum gematibus uti gloriosum & honestum sit? *A.*

2. Qui

2. *Qui gerat se in dissensione civili vir bonus, quiescat, an abeat in partes? Tali casu & arma sumere suadet necessitas.*

3. *Num Venetorum lex, de non alienandis immobilibus in Ecclesiasticos sine licentia superioris, probanda? A.*

4. *Vtrum citatio & provocatio ad Tribunal DEI sit licita? A.*

5. *Omninone facere, quod mandatum & uti mandatum est, oporteat: an fas sit, interdum deflectere, pro re aut casu aliquo repente nato? Præcepto Principis parendum est, etiam si res non bene succedat.*

6. *An condictio furtiva detur contra hæredes in solidum? A.*

7. *Ratio, quare mulier non possit testis adhiberi in actu testandi, non consistit in imbecillitate & inconstantia sexus fæminei.*

8. *Titius liberos genuit ex Mævia soluta, deinde Semproniam duxit in uxorem, & hæc mortuâ redit ad Mæviam, contrahitq; cum ea matrimonium, queritur, an per hoc matrimonium cum Mævia, liberi antea nati fiant legitimi? A.*

9. *An post mortem mariti, ejus hæredes propter adulterium, quod ipse ignoravit, retinere dotem possint? N.*

10. *An Magistratus nemine accusante inquirere in facinorosos possit? A.*

14. *An confessio criminis Sacerdoti facta, ad exonerationem conscientie in foro pœnitentiali (wann einer dem Beichtvatter etwas beichtet oder bekennet) si patefiat vel ab ipso Sacerdote, vel ab alio, qui fortè talem confessionem coram Sacerdote factam audivit, noceat confitenti, & probet in seculari judicio, adeoq; propterea puniri debeat? N.*

15. *Qui-*

12. *Quidam in crimine veneficii tempore supplicii alias personas quasi socias incusavit & proclamavit, questionis est, an talis assertio vel inculpatio noceat alicui, ita ut ob id vel condemnari, vel torqueri debeat? D.*

13. *An filiusfam. Qui mutuò accepit pecuniam, & mulier, quæ fidejussit pro alio, quos constat jure civili tutos esse SCtis Macedoniano & Vellejano, saltem per denunciationem Evangelicam compelli possint à Creditoribus ad solvendum? Neg.*

14. *An Papæ peccanti denunciari possit secundum legem Evangelicam? A.*

15. *An denunciatio Evangelica possit fieri Iudeo aut Turca? D.*

16. *Vtrum usura de jure novissimo indistinctè sint prohibita? A.*

17. *An à Decretis & insinuatis Processibus. Mandatorum sine clausula, sive à Citationem in Camera Imperiali decreta & executata, revisio jure petatur? N.*


DEO TRINUNI GLORIA
in omne seculum.

F I N I S.

X 2615926

VD.17





VERTAT.
RIDICA

17

1632, 2

NIBUS
M:

ICTORITA-
Ctorum Ordi-
toratensium

QUE JURE
ILEGIIS
BUS

sitioni subjicit,

ELUS,
SIS.

ruarii,
s.

I,
LEDERTZ.
II.

